

Specimen faunae lepidopterologicae riparum fluminis Negro superioris in Brasilia septentrionali

auctoribus C. et R. Felder.

(Conclusio.)

181. *Homocochroma Aletis* Nob. *Novara Mus. CIV 14*

Alis lateritio-fulvis, fusco ciliatis, anticarum dimidio apicali, macula subcostali grossa binisque minutis submarginalibus albido-flaviscantibus ornato, posticarum maculis marginalibus apud venas acute trigonis, ante cilia confluentibus, nigro-fuscis, his subtus maculis vittaeformibus inter venas interstitiisque macularum marginalium dilute ochraceis, antennis nigris, corpore supra lateritio-fulvo, subtus pallide ochraceo. ♂

Colorem habet *Aletidum* et *Phaegoristae*, signaturam similem, magnitudinem vero *Leptosomatum* specimen nostrum masculinum.

182. *Sangala sacrata* Nob.

Alis supra nigris, anticis plaga interiore metallico-cyanea, macula discali lateritia ornata, subtus omnibus cano-fuscis, extus dilutioribus, fusco-nigro venatis, anticarum macula grossa, posticarum macula minuta ad costae basin pallide lateritiis, corpore supra nigro-fusco, maculis humeralibus lateritio-rufis, orbitis albis, antennis nigris, anguste bipectinatis. ♂

Magnitudinem *Gnophriae rubricollis* Lin. paullum superat venusta haec species Novam Granadam quoque habitans. Propriam sectionem constituit, ab ea *S. beatue* Walk. antennis angustius pectinatis, palpis multo brevioribus, abdomine et pedibus multo gracilioribus, parte terminali venae subcostalis alarum anticarum a costae apice magis remota, ramo ejus primo et secundo venam costalem solum perforantibus, haud cum ea connatis, ramo mediano secundo tertio multo magis approximato, quam primo, cellula discoidali posticarum breviori ramoque subcostali primo ab ejus extimo et a ramo secundo multo magis remoto. Proprium fortasse genus constituit, sicut et sequens.

183. *Sangala gloriosa* Walk. var.

Splendidissima ista species sat vulgaris est in Novae Granadae Andibus. In terra calidiore volat et ad ripas in arena expansis alis gregarie sedit. Eandem judicemus *Callimorpham bifasciatam* Latr. speciem, nisi alarum obstaret forma (an specimen artifice mutilatum?).

A praecedente specie, sicut a *S. beata* Walk. non minus vulgari in Andium Neo-Granadensium vallibus discrepat antennis maris brevissime lamellatis, feminae indistincte serratis palpisque longioribus. In venarum distributione omnino fere convenit cum *S. beata* Walk. Sat difficilis est venarum subcostalium conditio, ramus nempe primus et secundus ante cellulae extimum egredientes venam costalem perforant et in spatia sat longa cum ea connati sunt. Ea autem ipsa ad apicem valde flexa, fere fracta est et cum petiolo rami tertii et quarti subcostalis connata, qua ex re primo intuitu vena costalis usque ad costae apicem currere bifidaque (propter ramum tertium et quartum subcostalem) videtur.

Negrinum specimen ab iis Novae Granadae differt fasciola sanguinea alarum anticarum angustiore.

Xanthyrus Boisd. in litt.

A *Sangalis* differt antennis (♂ris) haud lamellatis, sed ciliatis, alis anticis vena costali libera praeditis, ramo subcostali primo solo ante cellulae extimum oriente cum quarto cellulam secundariam sat magnam et hoc cum quinto alteram minorem formante, secundo et tertio longe post illud e quarto emissis abdomineque cylindrico, rigido minime anum versus conice attenuato. *Sangalis* cum *Phaeochlaena* connectit hocce genus. Observandum est, omnia ista genera stemmatibus*) carere, qua re ultimum imaginis a *Geometridis* discrimen deficit.

184. Xanthyrus flaveolata Lin. Cram.

In Brasilia et Surinamia haud rara videtur. Cel. Walker eam plene omisit.

185. Phaeochlaena Josia Nob.

Alis anticis nigris, dimidio basali plagaque inter hanc et apicem, posticarum luteis, posticis aurantiaco-luteis, limbo externo intus sinuato nigro. ♂

Minor, quam *Ph. Priverna* et *Medarda* Cram., faciem praestans *Josiarum*.

186. Esthema plagifera Nob.

Alis utrinque nigris, cyaneo tinctis, anticis fasciis binis inaequalibus macularibus punctoque interjecto albis, posticis plaga discali alba, venis nigris divisa in dimidio basali metallico-cyaneo, subtus usque ad costam extensa ibique glauco atomata, anticis ibidem margine viridi-cyaneo in certo situ fulgente. ♀

*) Cf. rectissima cel. Guenéei dicta Spec. gén. X. p. 525 „la présence des stemmates est loin d'y être constante“.

Eximia ista species major est, quam *E. bicolora* Cram. et alas habet apice magis productas. Genera *Esthema*, *Eucyano*, *Anthomyza*, *Phaloë*, *Phaloesia*, *Dioptis*, *Composia* et alia ad primi abdominalis annuli latera duo exhibent foramina, operculo globuliformi tecta. Similem structuram cel. Guérin (Iconogr. du Règne animal texte p. 504) apud *Glaucopeidas* et excellens Doubleday apud Geometridarum *Eratinas* observarunt (Transact of Ent. Soc. of London V. p. 441). *Cicadarum* tympani analogon uterque existimat auctor.

187. *Histioea Proserpina* Gey. var.

Specimen nostrum femineum strigas sanguineas punctaque cyanea alarum anticarum obsoleta habet, fascia ochracea earum sat angusta est alaeque posticae macularum instar binarum fasciolam exhibent sanguineam.

Androcharta Nob. (άνηρ, mas, χάρτης, charta.)

Cel. Herrich-Schäffer cum *Charideis* conjungit hoc genus, a quibus capite multo majore, oculis prominentibus, collari distincto, thoracis alarumque forma, cellulis discoidalibus harum omnino alienis, venula costali alarum posticarum praesente et vena discoidali earum a ramo mediano ultimo sat remota discrepat. His accedunt characteres sexuales secundarii.

Cel. Walker eas cum *Euchromia Iro*, *bourica* etc. diversissimis conjungit.

188. *Androcharta Meones* Cram.

Mas a feminis peculiari alarum posticarum discedit structura. Valde nempe abbreviatae sunt, supra fere omnino squamis densissimis elevatis leprosaе, ut chartaceam recipient faciem, basis marginis autem interni valde deflexa est et lobulum format canalicularem, margo externus superus revolutus est, costa autem deflexa. Alarum abortiva conditio venas etiam peculiariter distributas efficit. Plicae fortiter sunt expressae, cellula discoidalis valde coarctata, vena mediana, rami ejus et vena discoidalis sigmoideo-arcuati, illi vero margini interno valde approximati. Venae costalis rudimentum magis visibile, quam in femina. Cel. Cramer marem icone depinxit, cel. Walker autem feminam solam descripsit (List of Lep. Ins. in the Coll. of B. M. II. p. 229). *Charidea meonioides* Herr.-Schäff. femina nostrae est.

189. *Eunomia dubia* Nob.

Alis hyalinis, nigro marginatis et venatis, anticis apice nigro lituraque discali nigris, palporum articulo basali, orbitis maculisque duabus humeralibus albis, scapulis albo aspersis, abdomine supra me-

tallico-cyaneo, subtus albo, fasciculo anali atro, ad apicem sanguineo. ♂

E. Leucaspidi Cram. valde affinis videtur, sed ab ejus icone differt statura multo minore, alis latius nigro marginatis abdominisque signaturis. Minor et multo gracilior est, quam *Glaucopis Auge* Lin. Genus constituit diversum, rami enim mediani alarum anticarum subarcuati, secundus a tertio bene distans, hic autem et vena discoidalis inferior una ex basi orientes. In alis posticis vena discoidalis et ramus medianus tertius basi et apice liberi, medium vero in spatium connati sunt. Cellula discoidalis earum multo brevior, uti in *G. haemorrhoidali* Cram. et *Auge* Lin., quam cel. Latreille jam typum generis enumeravit, qua de causa nomen *Laemocharis* Boisd. Herr.-Schäff. cedere debet.

Palpi nostrae speciei multo crassiores et pedes breviores sunt, quam in *Glaucop. Auge*. Antennis caret nostrum specimen unicum. Abdominis structura aequae aliena est, ut cel. Walker jam indicavit.

190. *Macrocneme Maja* Fabr.

Late dispersa est mira haec species vespiformis in America tropica. Observanda venarum in alis posticis distributio. Vena costalis omnino abest, vena autem discoidalis usque ad basin extenditur, cellulam quare dividit et ramus medianus primus et secundus e petiolo longo communi ad cellulae extimum oriuntur. Cellula discoidalis pro portione alae perlata apparet.

Fam. Uraniidae.

Lepidopterologorum hodierni temporis paterfamilias, cel. Boisduval, primus fuit, qui veram difficillimae hujus familiae sedem inter *Noctuidas* et *Geometridas* cognovit. (Annal. de la Soc. ent. de France 1832). Dolendum, quod postea hanc opinionem ipse mutavit, in catalogo enim secundum collectionem Boisduvalianam ditissimam anno 1852 manu exscripto, quem ante nos habemus, *Uraniidae* mediae inter *Agaristidas* in *Castniidarum* conspiciuntur familia. Omnes auctores posteriores in hunc inciderunt errorem. Cel. Blanchard solus *Nyctalemonem Patroclum* et *Sematuras* propter antennarum fortasse formam e *Crepuscularium* serie excludit (Hist. des Ins. 1840) Walkerianam classificationem cel. Herrich-Schäffer Correspondenzblatt p. 62 confutavit, hic vero auctor Boisduvalianum schema certe secutus est. Cel. Guenée primus est, qui Boisduvalii priscam suscepit hypothesin (Spec. gén. tom. IX.) et totam familiam in *Geometridarum* vicinitatem transtulit. Hic auctor, uti consuetudo sua, familiam in tribum exaltat et in quatuor subdividit turmas apud eum "familles" appellatas. Quod ad nos spectat, *Sematurarum* et *Coro-*

*nidum**) cum *Geometridis* affinitatem (*Urapterygidis* nempe) nunquam dubitavimus. Eo magis vero genera *Urania* Fabr., *Thaliura* Dunc.**), *Alcidis* Gue. et *Nyctalemon* Dalm. nos sollicitarunt. Venarum distributione multum discrepant a *Sematuridis*, vena enim discoidalis alarum anticarum inferior fere in medio venae transversae oritur, superior autem et ramus quintus subcostalis e petiolo longo communi oriuntur. Retinaculi evidens absentia larvarumque***) formatio nos jam impulit, ea ad *Bombyces* in *Saturniidarum* vicinitatem referre. Eo usque tantum analogia cum *Saturniidis* procedit. Hanc cel. Herrich-Schäffer jam indicavit: System. Bearb. d. Schmett. v. Europa. VI. p. 84, 90. „Die Uraniden schliessen sich gut an die Saturniiden an und verbinden diese mit den Geometriden“ et Correspondenzblatt p. 62 „*Cydimonii* — von Guenée richtiger in die Nähe der Spanner versetzt, sie dürften diese mit den Saturniiden verbinden.“ Venarum autem analogia, quam fortasse hic in animo habuit cel. auctor, falsa est. Plerisque enim in *Saturniidis* e. g. in *Attacis*, *Samiis*, *Saturniis* venae discoidales alarum anticarum (vena 5 et 6 secundum cel. Herrich-Schäfferi et Ledereri methodum) e trunco longo sat remote a ramis subcostalibus nascuntur, vena scilicet discocellularis superior longitudinalis est, ut similis e. g. conspicitur ejus conditio apud *Nymphalidarum* genus *Helcyram* Feld. (cf. Acta Acad. Nat. Cur.

*) Haud intelligere possumus, cur cel. Herrich-Schäffer (System. Bearb. d. Schmett. v. Europa VI. p. 90 et Correspondenzblatt p. 62) *Coronides Noctuidas* esse voluit. Vena nempe discoidalis inferior alarum anticarum apud eas in medio venae discocellularis oritur, sicut in *Sematuris*, quibus valde affines sunt. Lapsum calami facile putares.

**) Minime comprobandum, quod cel. Guenée huic nomini (Naturalist Library V. 1837) nomen *Urania* Blanch. (Hist. nat. des Ins. 1840) substituit. *Uraniae* nominis pro *Cydimone* receptioni nihil obstat, quia *Urania* Schreber (1789) *Musacearum* generis denominatio nomini „*Ravenala*“ Adanson (1763) cedere debet. Divisionem scilicet *Uraniearum* (Endlicher, Gen. plant. nomen suum mutare oportet.

***) Valde mirati sumus, quod cel. Guenée de figura larvae *Uraniae Leili* Lin. a *Sibylla Merian* data certe genuina mentionem facere neglexit, quamquam tabulam citat. Haec larva magnam habet similitudinem cum iis generum *Hyperchiriae* et *Jonis*, sed forma cylindrica, multo gracilior, caput magnum, hesperiaeforme. Cel. Merian colorem quoque virentem indicat, quae res cum eruca *U. Boisduvalii* Guér. descriptione congrua. Secundum descriptionem larva etiam *Thaliurae Rhiphei* Drury spinas gerit setosas. *U. enim Boisduvalii* secundum imaginem jam sectionem format propriam in genere. Antennae ejus multo magis incrassatae sunt, hesperiaeformes, hamus longior, palpi latiores et longiores, pilis tenuioribus vestiti, articulus eorum terminalis multo gracilior, vere acicularis, scapulae longiores, abdomen brevius, alarum forma et signaturae ratio diversae. Observandum est, erucam *Agaristidis* valde similem esse. Inter omnes *Uraniidas* cognitae hujus speciei antennae maxime similes sunt iis *Eusemiae*, *Orthiae*, *Cocytiae* et aliarum *Agaristidarum*. Proprium fortasse formabit genus, metamorphosi omnium reliquarum *Uraniarum* cognita.

Vol. XXVIII. *Lycaenidarum Pentilam* (Tingram), *Arhopalas Darnides* etc. *Arctiidarumque Melanchroias* et *Milionias* (cf. Guenée Spec. gén. X. p. 531). Primo intuitu facile has venas frateras easdem putas, ut illas in *Uranidarum* generibus memoratis e petiolo communi emissas. In omnibus *Saturniidis* praeterea ramus subcostalis ultimus in costae apicem excurrit. Nihilominus propter larvarum formam et retinaculum absentem ea ad *Bombyces* locassemus, sed rita indagatio *Geometridarum* generis *Microphorae* Guen. (Atlas), quod omnino in venarum distributione convenit, nobis persuasit, *Uranidas* veras *Geometroideas* esse. Eodem tempore observavimus, *Micronias* etiam et *Microphoras* retinaculo carere. Plus quam triginta *Microphorae Geminiae* Cram. amboinensis aliasque species accurate inspeximus et nullum retinaculi vestigium invenire potuimus. Sed magni momenti haud esse videtur haec res. Cel. Guenéei verba in hac ratione prolata non omittenda sunt l. c. p. 16 (1) et conferenda cum Verloren, Catalog. syst. ad Cramerum p. 100. De reliquis familiae affinitatibus vel potius analogiis classicam confer Guenéeanam expositionem IX. p. 2—6, 13, 17, 20.

Genus *Epicopeia* Westw. (*E. Polydoram* magnificam solum ante nos habemus) constituit familiam propriam juxta *Uranidas*, quarum antennis habet. Differt ab iis capitis palporumque formatione, cellula discoidali alarum divisa, ramis medianis omnium intervallis subaequalibus distantibus, vena subcostali primaria alarum anticarum a costa longe distante, venis earum discoidalibus liberis, venula discocellulari suprema distincta et intermedia inferiorem fere superante. Ab *Uranidis* vero sicut a *Geometridis* dignoscitur parvula haecce familia „*Epicopeiidae*“ lingua spirali omnino abortiva. Cum *Gynautoцерidis* et *Haridis* nullam habet affinitatem. Genus *Thymara* Doubldy secundum descriptionem („median vein four branched“) ad *Arctiidas* pertinere nobis videtur.

191. *Urania Leilus* Lin.

Fasciae discalis alarum anticarum forma et maculae laciniatae alarum posticarum multum pro speciminibus variant.

Additamentum.

Superiore commentariolo jam dudum conscripto cel. Dr. Redtenbacher, Musei Caes. Zool. Archicustos, nobis benigne dixit, cel. Nattereri collectiones insectorum apud Rio Negro et Rio Branco flumina comparatas partim in reditu per provinciam Pará, ubi non multo ante seditio exarserat, partim in incendio navali, ut similia de collectionibus cel. Wallacei et Bonplandii in initio commentarii nostri protulimus, periere.

Praeterea a nobis monendum est, nomen „*Brachyglenis*“ *Erycinidarum* generi supra p. 73 datum a cel. Herrich-Schäffer jam apud *Lithosiidas* impensum esse („*Brachyglone*“), quam ob rem denominationem „*Tmetoglone*“ (τέμνω, trunco) illi substituiamus.

Cel. denique Bates nobis scripsit, *Erycinam Glaphyram* Doubldy feminam *E. Pyreti* Cram. (supra p. 71) esse.

Dianthoecia Christophi n. sp.

Beschrieben von H. B. Möschler.

Lederbraun mit schwarzer Einmischung, Nierenmakel dunkel, weiss umzogen, Ringmakel weiss, dunkelgekernt, Zapfenmakel dunkel ausgefüllt, schwarz umzogen, Wurzelfeld weisslich, ebenso ein Fleck aussen des hintern Querstreifes am Innenrand und einer in der Flügelspitze, Wellenlinie weiss.

Flügelspannung 30 Millm., Vorderflügelbreite 7 Millm.

Fühler weissgelb, dunkel geringelt, Palpen gelblich, Kopf, Halskragen und Thorax weissgrau, der Halskragen durch einen scharf schwarzen und einen braunlichen Strich getheilt, der Thorax mit braungrauer Einmischung, Hinterleib graugelb, Füsse gleichfarbig, Tarsen weiss geringelt.

Vorderflügel an der Wurzel mit einem abgebrochenen schwarzgesäumten Querstreifen, die Grundfarbe bis ziemlich an den zweiten Querstreif weiss, von da an lederbraun, der zweite Querstreif nach aussen schwarz begrenzt, am Vorder- und Innenrand weiss aufgeblickt, letzteres bis an die Wellenlinie weiss und schwarz gestrichelt. Ringmakel gross, weiss mit braunem Kern, Nierenmakel braun, fein weiss umzogen und ebenso gekernt, Zapfenmakel braun, schwarz umzogen, hinter ihr bis an den Innenrand ein schwarzer abgebrochener Zackenstreif. Der dritte Querstreif nach innen schwarz begrenzt, gegen den Vorderrand und in Zelle 1 und 2 weiss aufgeblickt und an letzterer Stelle ein nach aussen bis an die Wellenlinie reichender weisser Fleck. Letztere weiss in Zelle 3—5 W-förmig nach innen von drei schwarzen Pfeilflecken begrenzt, in der Flügelspitze stösst auswärts ein weissgrauer Fleck an die Wellenlinie.

Franzen von der Grundfarbe der Flügel mit dunkler Theilungslinie auf den Rippen weiss gescheckt.

Hinterflügel gelbgrau mit dunklerem Mittelpunkt, einem solchen feinen geschwungenen Streif und einer breit schwärzlichen Binde vor dem Saum. Letzterer scharf schwarz umzogen, die innere Hälfte der Franzen dunkel, die äussere licht.

Vorderflügel unten braungrau, mit weisslich durchscheinendem dritten Querstreif und Wellenlinie und dunkel angedeuteter Nierenmakel.

Hinterflügel weissgrau, die Zeichnungen dunkler angelegt als auf der Oberseite.

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Wiener Entomologische Monatsschrift](#)

Jahr/Year: 1862

Band/Volume: [6](#)

Autor(en)/Author(s): Felder Cajetan Freiherr von, Felder Rudolf

Artikel/Article: [Specimen faunae lepidopterologicae riparum fluminis Negro superioris in Brasilia septentrionali. 229-235](#)